

Petrus de Vinea

*Ep. V 57 (Supplicauerunt
excellenciae nostrae fideles...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 57 (Supplicauerunt
excellenciae nostrae fideles...)*

1240?

Capitano, ut nuntiet, quid sit faciendum super excontro quorumdam obsidum.

1. Supplicauerunt excellētie nostrae fideles nostri ... et ..., obsides de Monte Flascone, de mandato nostro apud Capuam commorantes, ut cum uelint pro se ipsis excontrum personarum condecens exhibere, uidelicet fratrem pro fratre, patrem pro filio uel filium pro patre, nepotem pro patruo uel patruum pro nepote, licentiam eis taliter excontrandi de nostra gratia concedere dignaremur. 2. Quorum supplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus per Commune castri prefati plene certificari studeas de nominibus et qualitatibus eorum, qui excontrari petunt, et eorum, quos modo predicto pro eorum excontro dare intendunt. 3. Studium diligens habiturus de inquirenda certitudine ueritatis, utrum, sicut predictum est, frater pro fratre, ac reliqui sufficientes et ydonei tribuantur, ut ex eis uidelicet, qui pro excontro offeruntur, eque sicut per alios, qui excontrari debent, secure nostrae curiae caueatur. 4. Ac per litteras tuas de nominibus et qualitatibus omnium predictorum, et si per eos, qui dandi sunt, nostrae sit curiae eque cautum, nostram fideliter instruas maiestatem.